



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XIII. Honorius III. (a) Magalonensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separaret. D. Augustinus de fide & symbolo, cap. 10. ibi: *Quapropter me hereticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, qua diligit Deum, nec schismaticus, qua diligit proximum.* Expressus Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 38. ibi: *Non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Iudeos, haereticos, & schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam finiunt vitam, in ignem eternum invios.* Plura Spondanus de Cameterii part. 1. libra 4. capite 2. & libro 1. part. 4. capite 4. Sed isti semel sepulti non exhumantur: igitur nec excom-

municati exhumari debent. Cui difficultas respondendum est dicendo, in eo textu defunctos sepultos; non satis excommunicatos, vel schismatics, sed fideles laicos, qui fuerunt sepulti ab ipsis schismatics; unde dubitabatur, an defuncti sepulti essent exhumandi, non quia ipsis schismatics decelerant; sed quia tempore schismatis, & ab schismatics fuerant sepulti; quo casu recte ait Honorius, eos exhumando non esse, quia cum eis communicabatur in vita; unde tanquam ritus, & recte sepulti, non debent exhumari. Dicimus in cap. consilium, de confir. Ecclesie.

C A P U T X I I I .

Honорий III. (a) Magalonensi Episcopo

A Bolendæ consuetudinis, nec non abominabilis corruptelæ apud Montem Pessulanum vicium, sicut dicitur, inolevit, ut videlicet decedentibus non prius permittatur effodi sepulta, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesia per solvatur. Quia igitur id longè est à regula pietatis, & ab Ecclesia honestate, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus cùm loci diocesanus existas, inhibeas clericis, ne quidquam omnino presumant exigere hac de causa: injungens laicis, ut laudabilem consuetudinem erga Dei Ecclesiam pię devotione fidelium introductam obseruent, ne fermento haereticæ pravitatis illam corrumpere videantur sub praetextu Ecclesiastica puritatis.

N O T A E .

(a) **M**agalonensi.] Textus iste in hac Raymundi collectione tribuitur Innocentio III. sed male, cùm non reperiatur inter epistolas ipsius Pontificis, nec in tercia aut quarta collectione: extat vero in quinta compilatione Honori III. sub hoc tit. cap. unic. unde refutanda est ita inscriptio: *Honorius III. Magalonensi Episcopo.* Magalonensis civitas est Provincia Narbonensis in Gallia, in insula maris mediterranei posita, in ditione Arecomicorum, olim Episcopali Cathedra decorata, sed postea ob barbaricas incursionses penitus desolata, unde Cathedra Episcopalis translata fuit in Substantionem, denum in montem Pessulanum à Paulo III. anno 1536. qui mons diffat à mari mediterraneo decem milliaribus, & temporibus Honori III. erat in diocesi Magalonensi, ut constat ex hoc textu, ibi: *Cum loci diocesanus existat.* Scribit autem in praesenti Honorius Bernardo, qui tunc in Ecclesia Magalonensi florebat, de quo plura fratres Sarmat. tom. 3. Gal. Christ. fol. 1.

C O M M E N T A R I U M .

Ex hoc textu communiter deducitur sequens assertio: *Pro sepultura in Ecclesia praefenda pretium exigere non debet.* Probant eam textus in cap. quæsta 12. cap. postquam 13. cap. in Ecclesiastico 14. cap. præcipiendum 15. 13. quæst. 2. cap. plerique 7. de pacificis. cap. ad Apostolicam. cap. suam. cap. dilectos. de simon. D. Gregorius lib. 7. epistol. 4. indit. 1. epist. 56. indit. 2. Urbanus II. in Concilio Claramont. can. 8. ibi: *Nullus deinceps pro sepultura pretium exigat.* Et in Concilio Placent. can. 14. ibi: *Præcipimus, ut pro chrismate.* &

baptismo, & sepulturis nihil unquam exigatur. Innocentius II. in Synodo Romana, can. 18. ibi: *Præcipimus, ut pro chrismate, olei sacri, & sepulta accepione nullum vendicationis pretium exigatur.* Concil. Meldense can. 72. Metene can. 2. ibi: *Et pro sepultura nullum pretium detur.* Biuricense, can. 2. ibi: *Nullus pretium pro sepultura accipiat.* Tuto. can. 6. relatum post Concil. Lateran. p. 2. cap. 10. ibi: *Pro sepultura nulla cumiam pretii exactio intercedat.* Rhemensis sub Eugenio can. 10. Triburicense can. 16. In Capitul. Caroli can. 21. ita caveretur: *Sepultura gratis concedenda, nec munera quicquam pro ea accipendum.* In Capitul. Heraldi Turonensis ad annum 856. cap. 77. ita legitur: *De venditionibus sepulchrorum, & de his, qui pro sepultura munera exigunt, ut severiter puniantur: & disstringantur.* Concil. Lateran. sub Innocentio III. Ratisbonense s. b. Laurentii Cardinali, can. 5. & 6. D. Hieronymus 99. in Genesim cap. 23. & in constitutionibus Ricalphi Suectioni Episcopi, que extant ad calcem operum Hincmarii, cap. 18. ibi: *Sepulchra mortuorum ecclesiastica honestate, & pietate unusquisque presbyter disponat.* & ne pro sepelienda mortuis genia exquiratur. Illustrant ultra congetlos in praesenti à Barbosa, Suarez de relig. tom. 2. tract. 2. lib. 4. cap. 4. Jul. Lavorus iii. 2. lucubr. cap. 10. ex num. 2. pluribus relatis Diana p. 2. resol. tract. 1. resol. 57. Antonius August. in epist. jur. lib. 26. tit. 13. Fridericus Lindembrog. in glossar. legum antiqu. verbo Sepulchra pretium. Lemaitre lib. 1. de jurib. Episcop. cap. ult. Manlius sacri juris controv. differt. 29. & 30. & de replici juris collat. cap. 32. P. Gregorius lib. 1. par. titul. 17. cap. 5. Chopinus lib. 2. sacr. pol. titul. 7. n. 19. Vicecomes de ruribus Missa volum. 2. lib. 4. cap. 21. Spondanus de camet. lib. 1. p. 2. cap. 9. num. 3. Baldinus ad novel. 43. Iustin. Barbola lib. 2.

lib. 2. Iuris Eccles. cap. 3. num. 27. Binsfeldius in dict. cap. ad nosfram, de simon. Benedictus Pererius in Genesim, cap. 13. disput. 1. num. 13.

Sed hæc assertio difficultas valde videtur; si quidem omni in religione, Hebraica videlicet, Gentilica, & Catholica, pretium pro sepultura sibi recipi legimus. De Hebreis constat ex facto Abrahami, quod refertur *Genesis cap. 17*, ubi traditur Abrahamum jus sibi puritate sibi pretio comparasse ab Ephron, ipsumque quasi violenter coegerisse sepulturam sibi vendere; nam cum Ephronilli gratis, & liberaliter sepulturam, aut locum inter sepulchra propria concederet, Abraham diligenter curavit, ut pretio accepto locus purus ad sepulturam sibi venderetur: unde deducitur, apud Hebreos receptum cuiuscunq[ue], pro loco sepulturae pretium recipere. De Gentilibus id facilius probatur, siquidem Romani, qui in sepulchris, & locis ad sepulturam destinatis religionem agnoscabant, non improbant pietum recipi pro ipsa sepultura, *I. funeralis 37*. ibi: *Pretium pro sepultura, ff. de relig. & locum jam religiosum vendere sinebant, l. Quintus, §. Pomponius, ff. de annis legar. l. si vero 12. §. final. ff. mandati, l. si bares, ff. de condit. caus. dar. l. libero, §. liberis, ff. de negot. gesp. l. cùm in testamento 202. ff. de V. S. I. §. si quis, §. hac actio, & §. plenaria, ff. de relig. l. quibus, §. final. ff. de condit. & demonstr. in quibus agitur de pecunia data ad emptionem sepulturae: ex tali pecunia pro emenda terra ad sepulturam, vicissim non deberi, docetur in *I. funeralis 37. ff. de religiosis*. Expressius venditionem loci religiosi subfisterat probatur ex *I. & liberis, ff. de contrah. emption.* ubi qui ignorans emit locum, ubi cadaver illatum erat, illum acquirit; & ex illa facie usitata clausula in sepulchris apposita, quā cavebatur, ne ipsa venderentur, aut alio modo alienarentur, ut contas ex epitaphiis transcriptis à Guthero de jure manuum *lib. 4. fol. 409.* Nec credi potest, tam diligenter testatores venditionem sepulchorum inhibuisse, si jure ipso communis satis esset interdicta. Tandem apud Catholicos pretium pro sepultura exigunt, usus quotidiani non demonstrant; siquidem passim videmus Ecclesiastiam locum ad capellam, vel sepulchrum familiare conserendum vendere, nec iustus, ne Ecclesia, sicut quilibetius privatus, cogatur de sue facere beneficium, *cap. precaria 10. quest. 2.* ergo non recte in praesenti docetur pro sepultura pretium recipi non posse.*

Quid dubitandi ratione non obstante vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, sepulturam tripliciter sumi posse. Primo pro officio, quod impenditur corporibus humandis, *cap. dictum 1. quaq[ue] 1. de quo agemus in cap. suam, cap. ad Apostolicam, de simon.* Secundo pro iure sepeliendi, seu assignandi locum in Ecclesia, quod competit Episcopo, & Parochio. Tertiò pro loco, in quo quis sepelitur, teraque in qua humatur, de qua in praesenti textu agitur, ibi: *Non prius permittratur effodi sepulitura, quam pro terra, &c.* Ipse locus sepulturae à Consultis aliquando appellatur purus, cum adhuc cadaver in eo humatum non est, *I. I. §. purus, ff. de relig. l. locum, C. eodem titul.* Docent Julius Lavorus *dict. tit. 2. lucubr. cap. 7.* Balsamon *in nomocan. Phocci, tit. 4.* Locus vero religiosus in iure civili dicitur is, in quo cadaver humanum

illatum est, *l. in tantum 6. §. religiosum, ff. de rerum divisi. l. cùm loca, l. cùm in diversis, ff. de relig. §. religiosum, Instit. de R. D.* Unde apud Romanos unusquisque locum religiosum faciebat mortuum inferendo in loco proprio, vel in alieno, consentiente domino, *l. cùm loca, l. si quis eo, ff. de relig. plura. Oswaldus lib. 4. Donel. cap. 1. Institutum in dict. §. religiosum:* non vero si invito domino in alieno loco quis mortuum inferat; ideo hæres locum non facit religiosum, mortuum inferendo in fundo legato, *l. si locus 34. ff. de religiosis.* Tunc autem religio loci incipiebat, cùm gleba injiciebatur solutis justis ter à sacerdote; & tunc, ut ait Cicero *lib. 2. de legibus*, & corpus humatum dicebatur, & sepulchrum vocabatur: facit Varro *lib. 4. de lingua Latina*, si ea mente cadaver illatum sit, ut ibi maneat perpetuo repositum, non si commendatum ad tempus, ut postea aliò transferatur, *l. si quis 40. ff. l. nec dum 10. C. de religiosis, l. 3. §. non perpetuo 4. de sepulchro violat.* & in hac parte observandi sunt textus in *l. ultim. ut in posses. legat. l. 3. §. in locis, ff. de iure fisci, l. 28. ff. communi divid. l. 4. §. non fit, ff. ad leg. Jul. pecul. l. ultim. ff. de mortuo inferend. l. 5. §. 12. ff. de donat. inter. l. servitiae, §. servitus, ff. de servit. l. 73. §. 1. ff. de contrah. emption. l. penit. ff. de pacitis, l. quā si locus, ff. de religiosis, l. 5. §. si libidinarius, ff. de instit. act. l. 1. §. & alias 15. ff. si quid in fraud. patron. l. 30. ff. famili. ericis. Non tamen totus fundus, in quo cadaver humatum est, religiosus fit, sed tantum illa pars fundi, quam occupat cadaver; reliqua vero pars manebat prophana, & in commercio, *l. 2. §. sepulchrum 5. ff. de religiosis, l. si sepulchrum 4. l. locum 9. C. eod. tit. quæ dicuntur modica loca in l. hanc legem 22. l. in modicis 24. ff. de contrah. emption.* Igitur quamvis ampla pars terra sepulchro esset destinata, ea sola censetur religiosa, quatenus corpus humatum est; proindeque caverunt Romani, ne de terra frugibus apta, vivi, mortui, usurparent, ut ait Cicero *lib. 2. de legibus*, ibi: *Lex vetat ex agro culto, eore qui coli possit, ullam partem sumi sepulchro; sed quia agrinatura tantummodo possit efficiere, ut mortuorum corpora sine deterrimento vivorum recipiat.* Nihilominus tamen aliquod laxamentum habuit religio, & pedes in fronte, pedes in agro designabantur; quod ipsatum occuparet sepulchrum, veluti decem pedes in fronte, id est in latitudine; viginti in agro, id est longitudine, ut exposuit vetus Horatii commentator *ad lib. 1. satyr. 8.* ad illum versus:*

Mille pedes in fronte, trecentum cippis in agrum.

Post quem notavit Brisonius *lib. 2. select. cap. 15.* Gothofredus in *dict. §. sepulchrum*: idem ad *leges XII. Tabul. cap. de religiosis*, *Oswaldus lib. 4. Donelli, cap. 1. litera H.* Cujacius *lib. 10. obser. cap. 37. Ant. Clarus ad leges XII. Tabul. capite ult.* Ramirez de Prado *in penecont. cap. 17.* Jure vero nostro canonico locus religiosus non sit corporis humatione, sed Episcopi consecratio, aut benedictione, vel cum locus sepulturae Christianorum destinatur, etiam si nemo ibi sepultus sit, *cap. questi 2. cap. ad hæres de relig. dominib. immo eti apud nos Catholicus sepultus sit in loco prophano, non ideo dicetur locus ille religiosus, aut sepultura Ecclesiastica, ut docent Gratianus p. 1. discept. cap. 110. Spondanus lib. 1. de carcer. p. 1. cap. 9. & 10. pluribus relatis*

Barbosă

Barbola in dict. cap. ad hoc: docent, & notant differentiam hanc inter utrumque jus, idem Barbola in dict. cap. ad hoc, num. 4. Gregorius in l. 1. gloss. 3. titul. 13. part. 1. Molina lib. 1. de primog. cap. 24. num. 38. Joan. Garfias de expensis cap. 8. num. 51. Spino in speculo. gloss. 2. num. 37. Spondanus de cemeteriis libro 1. part. 1. capite 9. & 10.

S. De religione seculorum et venatione. Deinde sciendum est, etiam apud Gentiles sepulturam semper religiosam habitam fuisse; credebant enim hominum ibi sepultorum animas & ejus probiti in venatione. Deinde sciendum est, etiam apud Gentiles sepulturam semper religiosam habitam fuisse; credebant enim hominum ibi sepultorum animas circa sepulchra aberrare, & nonnunquam in illis residere, quas Semonum, sive Semideorum esse autemabat. D. Augustinus lib. 9. de civitate dei, cap. 11. Martianus Capella de nuptiis Philolog. lib. 2. Apul. in lib. de Deo Socratis, in fine: & omnes gentes sepulchorum religionem habuisse commendatissimam probant Gutherus de iure mar. lib. 3. ferè per totum, Lelius Gyraldus de vario sepel. ritu, non procul ab initio, Guichardus de re funebri, lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 5. unde eorum violatores, tanquam sacrilegos puniri, tum apud Grecos, quam Romanos, fuisse probat Spondanus lib. 1. de cemeteriis, 1. p. cap. 9. & sepulchorum sanctitatem testantur Cicero lib. 2. de legibus, dum legem antiquam ita conceptam refert: *Deorum manum jura sancta sunt.* Idem lib. 4. de repud. apud Nonium verbo *Sanctitudo*; dixit sanctitudinem sepultura jure Pontificio subsistere: & in Philipp. 9. sanctitatem sepulchorum in ipso solo esse, que nulli vi moveari, nec detiri possit. Et Martialis lib. 9. epigr. 31. dixit: *Sanctam urnam. Catullus carm. 7. ad Lesb. vocavit: Sepulchra sacra.* Seneca ad Troadem, alioz. sic: *Tumulum sacrum, & sacram fedem.* Quintilianus declamat. 10. ait: *Sacra morte lapides;* quia nimur sepulchra Diis manibus data, dicataque, ab omni prophano usu sunt sejuncta. Consulti frequentius sepulchra loca religiosa appellant, quia propter aliquam sanctitatem a commercio remota, relegataque sunt, ut ex Masuri Sabino refert Gellius lib. 4. cap. 9. & ex Servilio Sulpicio Macrobius lib. 3. *Saturn.* cap. 3. & Ulpianus in l. 1. §. 6. dixit, interesse religionis monumenta extulit, exornarique; & in l. si sponsus 5. §. concessa; ff. de donat. inter. donationem sepultura causâ factam, religionis gratia valere. Gordianus Imperator in l. 1. C. de sepulchro violat. sepulchorum violatores incidere in crimen laesa religionis docuit. Unde licet loci puri venditio valeat, l. si locum, ff. de religiosis; sepulchri tamen venditionem jus religionis prohibet, l. 2. l. 9. C. de relig. Et Senatusconsulto etiam cautum fuit, ne locus sepulchorum permutationibus polluatur, idest ne loca religiosa alterius conversionis usum accipiant. l. si quis sepulchrum 12. §. 1. ff. de relig. & si locus religiosus pro puro vendatur, Praetor concedit in factum actionem ei, ad quem ea res pertinet, l. offa. §. si locus, ff. de relig. & si quis contra hanc prohibitionem sepulchrum vendit, tam ipse, quam emptor incident in crimen laesa religionis, l. sacrilegii 6. ff. ad leg. Jul. pecul. l. 3. ff. de sepulchro violat. l. 5. C. eod. tit. docent Fornarius lib. 1. select. cap. 13. Savarus ad Sidon lib. 2. epistol. 12. Nec modò sepulchra vendi prohibentur: verum etiam res, que ipsis intint, aut conjunguntur. Audi Juliani impissimi Imperatoris rescriptum in l. 5. C. de sepulchro violato, ibi: *Pergit audacia ad buschia defunctorum, & aggeres consecra-*

tos, cum & lapidem hinc mouere, & terram sollicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio majora semper habuerint; sed & ornamenta, que dant tri. clinis, ant porticibus, anferunt de sepulchris: quibus consilentes, ne in piaculum incident contaminata religione buschorum, hoc fieri prohibemus, ponamini vindice cohibus. Quem textum illustrat D. Joannes Suarez lib. 2. ad leg. Aquil. cap. 2. sect. 6. Jure etiam nostro Canonico, est locus purus, non benedictus, nec cimiterius vendi possit, capite aurum 12. quæst. 2. tamen per beneficitionem Episcopi religiosus effectus vendi nequit, ex hoc textu, & aliis supra citatis, immo illum vendens penitus simoniae punitur; cap. non satis, cum aliis, de simonia late probat Murga tom. 1. disquisit. mor. tract. 4. disquisit. 4.

Quibus ita animadversis appareat jam vera ratio 6. præsentis decisionis, si enim apud Gentiles tam turpis qualitas perpetuò vifus est, qui ex re sepulchrali colligitur, & commercium sepulchorum infame existimat, quid mirum, si Ecclesia repetitis saepius sanctiōibus, terra, quā corpus operitur, venditionem, & sepulturæ mercimonia interdixerit: Accedunt aliae rationes hujus prohibitio[n]is, videlicet quia terra illa concessa putredini debet vendi, & de alieno lucu aliquod facere compendium, ut ajebat Hincmarus Rhemensis in epist. ad Episcopos Ternacenses, & ex D. Gregorio referunt PP. Concilii Meldensis can. 72. ibi: *Nec pro loco sepulchra (ut verbis sancti Gregorii utamur) pretium de terra concessa purudem querere, & de alieno lucu velle facere compendium, aliquo modo quispam tentet. Aliam rationem affignant PP. Concilii Triburientis in cap. 14. 13. quæst. 2. ibi: Nam si darem preium pro sepultura, auri sacra famis mortalia sacerdotum peccata cogeret fas omne abrumpere, & denegare sepulturam illis, qui pretium unde solerent, non haberent & eruerent, mercantibus sacerdotibus, de humana morte compendium. Unde Theodosius dum iussit marmora excipiendi cadaveribus definita leviore preio distrahiri, sic Daniel Marmorario prescribit apud Caffiodorum lib. 3. epist. 19. Hinc quibusdam venient ad preium doloris, & miserabilis sorte votorum crescit de humana morte compendium; ita tamen, quod non si iniquitas hoc occasione taxari, ne cogantur miseri inter acerbis lacrimis grata plorare diffidia facultatum, & nefanda devotione confriti, aut urgeant patrimonia pro mortuis prodere, aut dilecta corpora vilissimi foreis potius dolentes abdicere. Si modò in voluntate poscentium, quando ipsa miseria pro ementibus facit. Justè ergo improbat coniunctudo montis Pessulanii non finendi effodere sepulturam, nisi preio prius accepto, & rectè hujusmodi pecunia exactio damnatur. Apud Ciceronem etiam vetus est illa de Verre querela, quod parentes preium pro sepultura liberorum in Sicilia poscerent. Accedit ratio ex suprà traditis deducta; nam cum sepultura sit res religiosa, & per consequens divini juris, cap. quisquis 17. quæst. 4. capite consulisti, de consecr. Eccles. & qua religiosa sunt, & divini juris, non possint vendi, nec preio estimari, quia extra commercium sunt, capite ratio, de proband. cap. non satis, de simonia, §. nullius, Instit. de rerum divis. inde rectè statuitur in præsenti textu, ne pro sepultura preium accipiat, aut ipsa preio asti- metur.*

Nec

7. Nec obstat prima difficultas deducta ex facto
Respon. Abrahāni, quod latè exponunt D. Thomas 2. 2.
datur difficultas 110. articul. 4. ad 3. Pererius in Genesim
difficil- 3. in cap. 27. Sophranis de funer. Hebreorum,
taibus. cap. 5. Spondanus de cemeter. sacr. part. 1. lib. 1.
cap. 5. Gibalinus de simon. quest. 10. confit. 7. ex
quibus dicendum est, Abrahānum non emisse
sepulchrum primò & principaliter, sed terram
communem, & prophanam ad sepulchrum fa-
ciendum: nec in ea specie Aḥrahām, & Ephron
aliquid in religionem commiserunt. Nec obstat,
quod D. Hieronymus obseruat in illud caput 23.
Genesis, Ephronem post eam venditionem dicitum
fuisse Ephram, unde significabatur non fuisse vi-
rum consummatae virtutis. Nam ideo non deduc-
citur, simoniam commisit, sed quia à statu perfe-
ctionis descendit ad statum imperfectionis, ita ap-
pellatur. Primò enim voluit dare gratis, deinde
pretio vendidit, & ita cùm antea appellaretur
Ephron, postea dicitus fuit Ephram. Nec etiam
solutionem triditam impugnat D. Gregorius rela-
tus in c. quest. 13, quest. 2, ubi reprehendit Sanctus
Doctor Januarius Sardinie Episcopum sepul-
tram vendentem, & illum objurgat exemplo Ephronis,
qui nolebat pretium ullum à sancto Patriarcha
recipere. Vel ergo terra Ephronis erat sacer, seu
religiosa, sicut illa, quam vendebat Januarius; vel
non: si non erat, minus facit exemplum ad pro-
bandum quod Pontifex intendebat: si erat reli-
giofa, vendi non poterat. Nam huic difficultati
respondendum est, D. Gregorium in eo textu
arguere à minori ad majus, comparando per-
sonam personæ, & locum loco, Ephronem vi-
delicer Gentilem, Januario Episcopo Catholico;
terram prophanam ab Ephrone vendi-
tam, loco jam sacro: & ita recte arguit San-
ctus, quasi dicat: Ille Gentilis nolebat suscipere
pretium pro terra prophana, ex eo tantum,
*quid Patriarcha illam destinaverat ad sepul-
chrum; tu Christianus, & Episcopus locum
jam consecratum, & non tantum cogitatione,
verum & cæmoniis Ecclesiasticis sepultura de-
finiatum pretio vendis. Non ergo ex eo textu
deducitur, Ephronem pretium accepisse pro fe-
pulchro. Nec obstat secunda difficultas deducta
ex variis juris civilis testimoniosis, in quibus sup-
ponitur, sepulchri venditionem valere; nam li-
cet eo iure attento sepulchrum, seu quis locus
religiosus per se & principaliter vendi non possit,
quia que extra commercium sunt, alienari non va-
lent, ut latè probant nostri Vespertini Antecellores
in inter 83. §. *sacram. de V.O.* tamen per accessio-
nem cum universitate bonorum fundo vendito, se-
sepulchrum in empore transiti, l. in modicis 24. ff.
de contrah. emp. l. si mercedem 53. §. 1. ff. de action.
empti, l. §. 1. ff. fundo dotali, l. i. §. & alias 15.
ff. si quid in fraud. patron. l. pater 38. §. *Julius*, ff.
de legat. 3. l. quædam 62. ff. de acquir. dom. docent
Donellus lib. 4. comment. cap. 6. & lib. 12. cap. 20.
ubi Oſwaldus litera G. Cujac. libro 6. respons.
Modest. in l. si fundus 30. ff. famili. ercise. & lib. 3.
respons. Papin. in l. ade 73. §. 1. ff. de contrah.
empione, Connarus lib. 7. comm. cap. 7. num. 4.
Gutherus lib. 3. de jure manuum, cap. 5. Solorza-
nus in polit. lib. 2. cap. 18. Quod adeo verum est,
ut vendito fundo, ubi sepulchrum extat, nisi
illud excipiatur, in emptorem transeat, dict. l.
si mercedem 53. §. 1. de action. empti: quò spe-
ctant leges illæ, quæ in venditionibus adjici so-
lebant? Si quid sacri, aut religiosi in fundo est, ejus
nil venit. Quarum fit mentio in l. hanc legem 22.
l. pacta 72. §. ultim. l. ades 73. §. 1. ff. de contrah.
empione, & apud Briffonum lib. 6. de formulis. Nec
obstat quod dicebamus de cautionibus in ipsis se-
pulchris adjectis, ne alienarentur; nam dupli-
modo responderi potest. Primò afferendo, clau-
lamillam adjici, ne sepulchrum possit per se, aut
simil cum fundo alienari; vel id specialiter caveri,
qua cùm iure civili emptor ignorans locum reli-
gioſum esse, haberet actionem ex empto adver-
sus venditorem, l. officiis. §. quæ, ff. de contrah.
emp. ne hæc ignorantia cauſa daretur, expreſſe
in ipsis sepulchrorum inscriptionibus cavebatur,
ne sepulchrum illud, alienati posset. Nec tandem
obstat quod dicebamus de quotidiano uisu venden-
dilocium in Ecclesia pro Capella, seu sepultura con-
ſtruenda: nam licet verum sit, Ecclesiam non po-
ſſe vendere locum sepulturae; tamen pro honorati-
ori loco pretium recipi potest, quod cedat ad
sumpus fabricæ, & ministeriorum sustentationem;
quia tunc pretium non exigitur pro solo facio
omnino necessario ad sepulchrum live pro iure se-
pulturae Ecclesiastice, quatenus spirituale est, &
gratis debitum Christianis omnibus; sed pretium
est dignioris & honorioris loci in Ecclesia, ju-
risque veluti proprietatis ad eum locum, quatenus
temporale utcumque est, nec gratis cuicunq;
laico debitum, ut docent plures relati à Barbo-
ſa hic, Dian. pag. 2. tratt. 15. resol. 57. Frances
de Eccles. Cathed. c. 16. num. 89. Suarez de relig.
tom. 3. de simon. lib. 4. cap. 14. ex num. 7. Garcia
de benef. 5. p. cap. 9. num. 136. Lara de annivers. lib.
1. cap. 15. num. 17. Gutierrez 2. ca. omic. quest. 21.
num. 148. Gratianus discept. cap. 110. & cap. 210.
quia eo honore attenditur dumtaxat aliquid hu-
manum, & non sacram; & etiam remota ho-
nor illi ex aliqua conjunctione cum re sacra de-
rivetur, non tamen ex venditione talis loci dice-
tur vendi ejus sanctitas. Unde etiam poterit Ec-
clesia vendere jucundus, ut quis, ejusque familia tan-
tum in certo sepulchro sepeliatur, non autem ul-
lus alijs, ut docent Suarez dict. lib. 2. de simon.
cap. 4. Layman. lib. 4. tratt. 10. cap. ultim. Bins-
feldius in cap. 41. de simon. quest. 1. quia onus illud
incumbens clericis non admittendi alium in eo lo-
co, est pretio astimabile, nec sacram, sed tem-
porale dumtaxat, accidentiò connexum cum
spirituali. Poteſt etiam à privato vendi sepulchrum,
quod propriâ pecuniâ, expensisque construxit, vel
comparavit, quia non distrahit religiositas lo-
ci, aut Episcopi beneficio, sed materialis rei va-
lor, aut sumptus una cum iure sepeliendi, quod
non est religiosum, ut docuit cum sapientissimi-
Soto, & Suarez Barboſa ubi proximè, num. 7.
Ignatius Lassarte de decima benedictionis, cap. 14.
num. 5. Quod si ita esset, prout esse existimo, &
res, quæ venit, est merē prophana, ut fundat P. Suarez,
consequitur venditorem gabellam debere, si laicus est, quia nulla est ratio, ex-
istenti venditione, quare non solvatur. Tamen
contraria sententia placet, ne ex venditione juris
sepulturae gabella debeatur, cùm iure civili vi-
ceclima non deberetur ex pretio dato pro loco se-
pulturae, dict. l. funeris 37. & ex aliis rationibus
defendunt Parladorius lib. 1. rer. quotid. cap. 3. §. 3.
num. 35. Gutierrez lib. 2. de gavel. cap. 9. à num.
36. & palinodium veluti recantans Lassarte ubi
suprà.*

Sed

8. Sed superiori assertioni obstat textus in *can. 63.* Exponit *Concilii Meldensis*, relato in *cap. 2. 23.* quest. 8. in illis verbis: *Nullus de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipio, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitur Ecclesie fuerit, neque de dicimis, & oblationibus fideliū quemquam presbyterum aliquem censum persolvere cogat.* Ex quibus aperte deducitur, aliquid pro loco sepulturæ recipi posse. Cui difficultati respondendum est dicendo, quod licet in praesenti textu, & aliis canonibus suprà relatis, prohibetur aliquid exigere pro terra ipsius sepulturæ; non tamen prohibitur sponte oblatum à defuncti heredibus, vel consanguineis recipere, capite abhorrenda, *cap. præcipiendum 13.* quest. 2. *Concil. Bituric. can. 12.* ibi: *Nullus pretium pro sepulturæ accipiat, nisi quod fideles fronte dare, vel effere voluerint.* Docet *Jul. Lavoris diel. tit. 2. cap. 10. num. 7.* unde cùm in *dict. can. Concil. Meldenſis* agatur de eo, quod gratis pro loco sepulturæ datum est, ut constat ex verbo illo *largius*, quod plenam denotat donationem, ideo supponitur à Paribus, illud sepulturæ causâ recipi posse, nec ex rebus ita donatis teneri presbyterum aliquem censum persolvere, sicut nec ex manso, & decimis Ecclesie, juxta adducenda in *cap. 1. de censibus*: quo modo etiam intelligentius est textus in *can. 2. Concilii Metensis*, in illis verbis: *De una manso, & de terris pro sepulturæ datis, & pro quatuor mancipienti, vel eorum procreatione, nullus deinceps census exigatur, & pro sepulturæ nullum pretium detur.* Ut pretium videlicet, tanquam exactum, non vero gratuitò oblatum, & liberaliter donatum. Et hodie quamvis Parochi sepulturam vendere non possint, tamen subsidiī gratiā, & elemosynā titulo aliquid accipere possunt pro loco sepulturæ, plus minusve, prout est honoratior, & dignior, ut consuetudine generali receptum est, in lacrime Rota admissum referunt *Garcia 5. p. de benef. c. 9. n. 117.* *Diana p. 1. tract. 15. resol. 57.* licet similes pactiones periculoferas esse agnoscant *Molina de primog. lib. 1. cap. 24. num. 40.* *Gutiérrez de Gabelis, quest. 9. num. 26.* qui rectè docet, ex similibus pactionibus gabellam non deberi, quia non sustinentur ut emptiones.

9. Secundo praesenti assertioni obstat textus in *cap. ad Apostolicam, de simonia*, ubi cùm proponeretur *Alexandro III.* quosdam sacerdotes pro exequiis, & sepultura defunctorum, nec non pro benedictionibus nubentium pecuniam exigere, Pontifex hoc de cetero fieri prohibuit, iussitque, ut si consuetudine introductum sit, ut aliquid pro sepultura, seu benedictionibus nubentium detur, talēm consuetudinem esse servandam, & laicos non debere excusari ab ejus prestatione, immo similes consuetudines ab omnibus observandas esse. Ex quo textu expressè deducitur, quod quamvis non possit jure ordinario aliquid exigi pro exequiis mortuorum, tamen si consuetudine concurarum sit introductum, eam esse observandam. Igitur non rectè in præ-

fenti improbatur consuetudo exigendi pretium pro sepultura. Pro cuius textus expositione, omis-
sa quæstione, utrum confuetudine introduci possit
ur pro Sacramentis, seu divinis Officiis celebrandis
pretium exigatur? quam disputant Sahagun in *cap. final. de consuet. num. 133.* *Hallierius de sacris elec-
t. sect. 7. artic. 4.* *Chopinus de sacra polit. lib. 2. tit. 7.
num. 19.* *Luna & Arellanus in antinom. lib. 5. anti-
nom. 3.* dicendum est, in praesenti textu non impro-
bari ab Honorio consuetudinem, quā introductum
erat, ut ratione elemosynā, & gratuitō aliquid da-
retur pro loco sepulturæ, ex pia fideliū devotione,
qua rectè approbatur in *dict. cap. ad Apostolicam*, sed
ea consuetudo in præsenti damnatur, improbatur.
que, juxta quam Parochi pretium exigeant, extor-
quebantque à parochianis invitis pro terra ipsius se-
pulturæ; qua consuetudo ut simoniaca meritò im-
probatur ab Honorio: si autem ex pietate aliquid
gratis offerretur, talis pia, & laudabilis consuetudo
admittenda, & observanda erat, juxta textum in *dict.
cap. ad Apostolicam*, ut apud Angelos tempore ef-
fossi sepulchri pecuniam præstari constat ex Conci-
lio Enhamenſi temporibus Joan. Papa XVII. &
Henrici II. celebrati *can. 13.* *Luminarium censu-
ter quotannis penditur, sed aquifissimum est, ut anima
ſimbolum (quam pecuniam ſepulchralē nunc vo-
cant) ſemper dependatur, cùm ſepulchrum ſit effi-
ſum.*

Tertiò superiori assertioni obstat textus in *cap. 10.
aurum 70. 12. quest. 2.* ubi D. Ambrosius inter alias *Expo-
cauſas*, quas recenset, ob quas vasa Ecclesie, & alia *tur cap.
bona possunt alienari, refert illam, ut emanunt ſe-
pulturæ, & ſpatia laxata humandis fideliū dispo-
nuntur, ibi: *Nemo potest indignari, quia humandis
fideliū reliquias ſpatia laxata ſunt.* Igitur si licet
vafa Ecclesia diſrahēre, ut inde ſepulchra emanunt,
prohibitum non est pretium accipere pro loco ſe-
pulturæ ut in praesenti docetur. Pro cuius textus
expofitione dicendum est, D. Ambrosius in eo
principaliter agere, quibus ex cauſis res ſacrae alienari possint: licet enim talis alienatio utroque jure
prohibita fit, *cap. non licet 12. quest. 2. l. ſancimus
21. C. de ſacred. Eccleſ.* probavi latè in *cap. nulli, de
rebus Eccleſie*: tamen certis in cauſis permittitur,
dum tamen ſacra vafa prius conſuentur, & ad mal-
fam redigantur, ne illis ſub ſacra forma prophanii
homines ad prophanos uſus abutantur, ut docent
*Gothofredus in dict. l. ſancimus, Covar. lib. 1. 26.
riar. cap. 16. num. 8.* politè, ſed minùs pī differens
Grotius de jure belli, lib. 3. cap. 5. §. 2. cùm autem in-
ter alias cauſas enumerat D. Ambrosius empio-
nem loci ad ſepulturam, accipendus est cùm locus,
qui alienatur, purus, & prophanus est, & emitur ad
laxandum, & ampliandum Eccleſia cæmenterum
pro humandis fideliū corporibus, quo caſu aliena-
tio licita eſt, cùm adhuc locus religiōſus non
ſit, nec benedictione Epifcopi
ſacratus.*

CAPUT